ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Vir nobilissime

Solent subinde pictores, aut animi gratiâ, aut ut aliquid suae artis addiscant, imitari insignium artificum ἀρχέτυπα, et quia pictoribus atque Poëtis

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas

conatus sum belgicis versibus imitari Fugam illam tuam classis Anglicanae, etiam λυχνογραφίην, sed conatus tantum. quàm non stylus hic meus exprimit carminis tui majestatem! et vides quam forma princeps ab hac, quam duxi figuram, distet. sed quis praeter te ipsum hoc assequatur? Scripsi etiam ad λυχνογραφίην tuum aliquot versiculos, sed pro meo modulo. Fave ardori et meo in te affectui, quos ab humanitate tua impetraturos confido ut non dedignaturus sis audire cum Apolline cantantem Pana, non quidem illum incubum, sed succubum. Apocrysmata tua etiam nunc apud me manent. diu est quod non fui in illis, distractus alijs curis, levibus tamen, et quae loquuntur ubi ingentes stupent. Vale, vir maxime, et me benevolentiâ tua prosequi dignare.

Tuae Nob[is]. observantissimus

JWesterbaen

prid. Id. April. cIↄ Iↄcxlııı.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Westerbaen) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5288

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Westerbaen) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5288

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Westerbaen) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5288